Discalceatorum S. Augustini Hispaniarum Electionis Vicarij Generalis.

Em.^me ac Reu.^me Dñe. QVando Sanctimmus Dominus Noster Innocentius XII. per suum Breue deputauit in Vicarium Generalem Congregationis Discalceatorum Hispaniæ P. Simonem à Sancto Augustino, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Statutis, Consuetudinibus, & Priuilegijs, quibus omnibus derogauit, & cæteris contrarijs, habito tenore pro expresso, *Summ. nu.* 5. non intellexit nisi iuxtà tramites iustitiæ, & disciplinæ Regularis, ac Ecclesiasticæ, cuius est Assertor, & vindex, ideòque ad exemplum suorum Antecessorum voluit ab hac Sacra Congregatione cognosci, an quid Sanctitati Suæ obreptum, vel subreptum fuerit, itaut procedi possit, & debeat ad electionem Vicarij Generalis per consueta Comitia, non attento suo Breui Apostolico, dùm nec motus proprius Papæ tollit defectum eius intentionis, cùm eidem subreptum, vel obreptum probatur, vt pro limitatione *Text. in cap. Si motu proprio, de præben. in 6.* notant ibidem Canonistæ, & in *Clementin. Si Romanus Pontifex eodem tit. Paris. cons. 79. num. 21. volum. 4. Bellencin. de charitatiu. subsid. quæst. 59. num. 5. tractat. magn to. 15. par. 2. Gig. de pension. quæst. 9. num. 6. Camerat. vot. 8. num. 3. Adden. ad Rot. recent. par. 9. decis. 90. num. 139. & seqq. Rosa de executor. litterarum Apostolic. par. 1. cap. 5. sub num 107. & seq. Card. de Luca de benefic. disc. 105. num. 4. Rota coram Seraph. decis. 398. num. 1. & decis. 965. & decis. 1484. vbique num. 11. & coram Merlin. decis. 318. num. 3. & seqq. & decis. 827. nu. 4. & coram Cels. decis. 408. num. 3. & recent. part. 19. decis. 351. num. 7. in fin. vers. Non attento motu proprio, & seqq.*

Et clausulæ -- *Non obstantibus Constitutionibus, & quorum tenores* -- non operantur quoad Constitutiones particulares, & speciali nota dignas, quarum nulla est facta mentio in parte dispositiua, vel si derogatum dici posset, id intelligeretur,

qua-

quatenùs aliquid obreptum, vel ſubreptum Pontifici non fuiſſet, qui ſi omnia ſciuiſſet, non conceſſiſſet, vel ſaltem difficiliùs, vt explicando iſtas duas clauſulas *Dec.conſ.373.n.14. Pariſ. conſ.42. nu.18. verſ.Illa enim verba vol.4. Spad. conſ.53. nu.13. vol.1. & conſ.74. num.2. in fin. verſ.Vltra quod, & ſeq. vol.3. Barboſ. tract.var. de clauſ. clauſ.127. è num.16. Roſa de executor. literarum Apoſtolic. par.1. cap.5. num.111.* vbi quod non tollitur defectus ſubreptionis, *Rota coram Verall. deciſione 121. per tot. part.1. & coram Seraphin. deciſ.16. num.1.* & magiſtraliter apud *Marcheſan. de commiſs. part.1. pag. 640. è num. 10.* iunctis anteceden. & apud *Merlin. de legitim. deciſione 57. num. 11. verſ. Ex his patet, & ſequentibus*, & apud *Tamburrin. de iur. Abbat. tom.3. deciſ.92. num.3. & recentior. part.9. deciſ.114. num. 27. & ſequen.* vbi quod clauſula *Non obſtantibus*, non tollit ſpeciali nota digna, *& par.16. deciſ.186. num.4. verſ. Neque ad tollendam ſubreptionem, & ſequentibus, & par.19. deciſ.148. num.19. & in Caſalen. quartæ Funeralis 1. Iulij 1665. §.Idque, coram Eminent. Vrbis Vicario.*

A theſi deſcendens ad hypotheſim obteſtor Eminentiſſimos Patres, vt dignentur animaduertere quale præiudicium irrogetur Religioſis, & diſciplinæ Regulari, ſi poſthabitis Conſtitutionibus Ordinis, & Apoſtolicis, circa ſexennalem electionem Vicarij Generalis, quarum nulla mentio facta fuit tot rigoroſis clauſulis, *Summario num.6. & ſequen.* daretur anſa ſurripiendi honores, quo ſtante præiudicio Religioni, Religioſis, & libertati electionis, dicitur adeſſe defectus intentionis, *Pariſ. eodem conſ. 79. num. 22. volum. 4. Ioann. Selu. de benefic. part. 2. quæſt. 1. è num. 66. & parte 3. quæſt.11. num.41. tractat.magn.tom.15.part.1. Gig.de penſion. quæſt. 9. num. 5. & quæſt. 29. num. 4. Coraſ. de benefic. cap. 4. num.8. verſ. Atque ideò non in præiudicium, & cap.5. num.30. tractat. magn. tom. 15. part. 2. Adden. ad Rot. recent. part. 9. deciſ. 90. num.147. & deciſ.217. num.46. & ſequ. Rota coram Seraphin. dicta deciſ. 398. num. 6. & 11. & coram Bich. deciſ.302. num.7.* & plenè *coram Vbag. deciſ.34. num.4. & ſeqq. & num.10.*

Maior eſt altera ſubreptio non narratæ Alternatiuæ ex noto Breui ſan. mem. Alexandri VII. volente alternandam eſſe electionem ſexennalis Vicarij Generalis inter quatuor Prouincias huius Congregationis, Caſtellæ nempè, Aragoniæ,

Be-

Bethicæ, & Indiarum, dùm electio pro futuro sexennio passiua spectabat ad Prouinciam Indiarum, cuius nullus Religiosus, licèt adhùc aduenisset habilis ad Vicariatum Generalem, adhùc tamen superant septem menses à die emanati Breuis, vsque ad illam celebrandorum Comitiorum, qua vltima die non elapsa, durabat ius Prouinciæ Indiarum, quod si Pontifici innotuisset, gratiam non concessisset, vel saltèm difficiliùs, non solùm nè præiudicium contingeret prædictæ Prouinciæ Indiarum in detrimentum Religionis Orthodoxę, inter Populos illos toto Orbe diuisos excrescentis, iuxta auctoritates adductas deficientis intentionis Pontificiæ, cum agitur de alterius præiudicio, sed etiam, quia Prouincia Castellæ est illa, quæ succedit in alio sexennio, & prætendere poterit electionem passiuam ex seipsa, quamuis P. Simon à Sancto Augustino sit ex eadem Prouincia Castellæ in hoc sexennio, quod profectò generabit maximam confusionem in hac Congregatione, quam si Pontifex suspicari potuisset, profectò gratiam non concessisset. Turnus enim Prouinciæ Indiarum præsentis sexennij dicitur consumptus ex prouisione Pontificis, quando substineatur, vndè fit locus turno Prouinciæ Castellæ sequentis sexennij, iuxta tradita per *Card. de Luca depræhemin. disc.* 28. *num.* 14. *Rota diuers. par.* 4. *decis.* 898. *per tot. & coram clar. mem. Card. Cerr. decis.* 952. *num.* 2. *cum concordan.*

Et tandem maxima est illa obreptio, quam supplico ponderari, ex historia facti. Quamuis enim Constitutiones Ordinis, *Summario num.* 1. disponant, vt moriente Vicario Generali intra sexennium, eo ab officio remoto, vel renunciante, succedat in iurisdictione præteritus Vicarius absolutus, vel eo non existente, Prouincialis, in cuius Prouincia mortuus est Vicarius Generalis, adhùc tamen ipso P. Simone iurisdictionem inuadente, ab eo supplicatum fuit, vt non conuocaretur Capitulum Generale, *Summario num.* 2. -- *Nè si possa celebrare Capitolo, nè trattare di nuoua elettione di Superiore, durante la Visita, e sin tanto, che quella non sarà compita, & accettata dalla Congregatione, [e confermata dalla Sede Apostolica* -- Quod idem erat ac dicere, vt ipse gereret iurisdictionem supremam, quia antequam compleretur Visitatio, & priusquam ab vniuersa Congregatione acceptaretur, & postea à Sede Apostolica confirmaretur, tantùm tempus inter-

cedere debebat, vt ipſe Vicarij Generalis in Religione, quem ideò non eligi rogabat, ſuperinductam auctoritatem exerceret. Quia verò fruſtratus voto remanſit, dùm hæc Sacra Congregatio reſcripſit eius precibus, vt procederetur ad electionem Vicarij Generalis, ſeruandamque eſſe Conſtitutionem Vrbani Octaui, firma remanente eidem P. Simoni Viſitatori facultate Viſitandi, qui Viſitationem proſequeretur, *Summario eodem num. 2. in fin.* tunc reuoluto pallio, ſub eius nomine porrigi curauit à Procuratore Generali Ordinis alius ſupplex libellus Sanctiſſimo, vt deputaretur ipſe P. Simon in Vicarium Generalem, fœdere inter eos continuato, ſuper quo libello coincidente cum alio non congregandi Capituli Generalis nomine eiuſdem P. Procuratoris porrecto locus Sac. Congregationi poſſunt Eminentiſs. PP. eandem phraſim agnoſcere, *Summario num. 3. iuncto anteceden.* Ex hac autem germana hiſtoria plura emergunt aduerſantia intentioni Pontificis in conceſſione Breuis prædicti, ſi ei hæc innotuiſſent.

Primum eſt, quod exagerata à Patre Procuratore Generali P. Simonis à Sancto Auguſtino probitas, & auſteritas vitæ, non eſt adeò extollenda in iniuriam totius Congregationis, quam dicit tot erroribus lapſam, vnicumque iſtum poſſe eſſe Reformatorem, *Summario eodem num. 3. in princip. & in fin.* in qua narratiua fundatur Breue S. D. N. *Summario num. 5.* quod eſt falſum in vtroque extremo, quia ex Viſitationibus antecedentibus Prouinciæ Aragoniæ, quam expleuit P. Ioſeph à Spiritu Sancto, & alterius Prouinciarum Caſtellæ, & Bethicæ expletæ à P. Simone à Sancto Auguſtino, confutatur hæc aſſertio lapſo diſciplinæ Regularis, quam iſte vnicus reſtituere poſſet, dùm ex illarum actis apparet quid geſtum fuerit, atque ipſe P. Simon in ſupplici libello inſolidum cum P. Procuratore Generali teſtatur contrarium, nempè non lapſas Prouincias, ſed redactas in ſtatu reformationis, *Summario eodem num. 3. litt. A.* vſque ad magnum numerum expreſſis Religioſis ſummæ virtutis, & munerum magna cum laude expletorum, *Summario num. 10.* adeout Rex Catholicus anno præterito ad Epiſcopatum de Alguer nominauerit Regularem huius Congregationis, quod non contigiſſet, ſi Congregatio moribus, ac Regulari obſeruantia defeciſſet. Et corruit etiam aliud extremum vnici Reformatoris P. Simonis,

monis, & probi viri, vt supposuit P. Procurator Generalis, non solùm ex tot alijs viris probitate, & muneribus insignibus, *Summario eodem num.* 10. sed etiam, quia ipse P. Simon ambiens priùs iurisdictionem superinductam, rogans sub nomine P. Procuratoris, vt Comitia non haberentur pro eligendo Vicario Generali, & postea rogans sub eodem nomine pro dignitate, & iurisdictione ipsius Vicarij Generalis, habet resistentiam *l. 1. & tot. tit. ff. & C. ad l. Iul. de ambit.* & præter nota Decreta sub Clemente VIII. apud *Nouar. in summ. Bullar. par. 2. commentar.* 108. Quoad Ordinem Augustinianum habemus Constitut. 48. Pauli V. *Bullar. to. 3.*

Secundum est, quod siue P. Simon insolidum cum P. Procuratore Generali, & sub istius nomine, siue iste solus petierit non congregari Capitulum, nec eligi Vicarium Generalem, vt perpetuaretur iurisdictio P. Simonis, semper narrandum erat Pontifici hanc instantiam fuisse reiectam ab hac S. Congregatione, quia mentio debet fieri reprobatæ petitionis, vel denegatæ gratiæ tam à Superiore, in quo loquitur *Sanchez de matrimon. lib. 8. disput. 14. num. 5.* quàm ab inferiore, quia si Pontifex resciuisset Congregationem denegasse vno modo, ipse alia via non concessisset, inquit *Rota* pro subreptione ineuitabili *in recent. part. 1. decis. 423. num. 7. & coram Pamphil. decis. 287. num. 8.*

Tertium est, quod videtur ineuitabile, stando in terminis petitionis solius Procuratoris Generalis. Etenim non fuit Pontifici expositum, Constitutiones Ordinis prohibere Procuratori Generali, ne petat Indultum, vel Breue, absque consensu Definitorij, quodque id iuret à principio muneris suscepti, *Summario num.* 8. ibi -- *Et iuramento obstringat fidem de non petendo, seu impetrando aliquo Indulto, aut Bulla, vel alia simili, ad Religionis regimen spectante, absque Definitoris Generalis consensu, & explicita voluntate, neque in hoc, vel alio particulari Religioso, vel sæculari fauere* -- Hic autem vltra rationes ab initio adductas, ex alia particulari non intrat derogatio Constitutionum Ordinis, vel aliarum Apostolicarum, quia non intelligitur de actibus iuratis, cum iuramentum sit speciali nota dignum, & non veniat sub quacunque derogatione, sicque impetratio huius Breuis facta à Procuratore Generali, contra iuramentum à se præstitum de Breuibus, aut Bullis non obtinendis, sine consensu, quinimò explicita volun-

tate

tate Definitorij Generalis, est omninò annullanda, restituta libertate Comitiorum huic Congregationi, deceptæ sub fide data proprio Sacramento à Procuratore Generali de non impetrandis Breuibus, vel Bullis, sine eiusdem Congregationis consensu in Definitorio Generali repræsentatæ, ne transeat in exemplum Constitutionum, & iureiurandi contemptus: Sic nempè maximus ille Pontifex Innocentius III. *in cap. Constitutus* 19. *de rescript.* irritauit literas Pontificias hac de causa, & his verbis -- *Cum in Bituricensi Ecclesia esset numerus Canonicorum firmatus iureiurando, & de hoc non fecisset mentionem, intelligendum erat circumuenisse Prædecessorem nostrum* -- & paulò post -- *quidquid factum est occasione ipsarum, irritum decernatis* -- *Glossa in cap. Cum non deceat*, vbi Canonistæ omnes, & præsertim *Barbos. num. 6. de elect. in 6. & in tractat. var. de clausul. claus.* 85. *nu.* 1. *Gabriel. commun. conclus. tit. de iureiur. concl.* 5. *num.* 18. *& seq. Corrad. in prax. dispensat. lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 44. *Rota decis.* 18. *in princip. de rescript. in antiq. & in recent. part.* 9. *decis.* 179. *num.* 72. *& coram Duran. decis.* 5. *nu.* 4. *& seq. & num.* 7. *& coram Coccin. decis.* 1613. *sub nu.* 33. *& seqq. & coram Vbago decis.* 34. *nu.* 13. *post princip. vers. Vbi etiam sufficere.*

Et ità ex alia Constitutione Sixti V. prohibente peti à Romano Pontifice confirmationem, extensionem, seu prorogationem Prioris Generalis Augustiniani pro nullitate Breuis, me scribente, rescripsit hæc Sacra Congregatio *in Romana Prorogationis Capituli* 1. *Februarij* 1692.

Quare &c.

Peregrinus Maserius Aduoc.

SAC. CONGREGATIONE
Epiſcoporum, & Regularium
Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card.

CARPINEO PRAEFECTO

PONENTE

Diſcalceatorum S. Auguſtini Hiſpaniarum Electionis Vicarij Generalis.

P R O

RR. PP. Prouinciarum Hiſpaniæ, & Indiarum.

C O N T R A

R. P. Simonem à S. Auguſtino, & P. Ioannem à S. Ioſepho aſs. Procuratorem Generalem.

Iuris D. Maſerij.
